



Universitätsbibliothek Paderborn

V. P. Gasparis Druzbicki, Societatis Jesu, Opera Omnia Ascetica

Aucta Duobus Opusculis De Effectibus, Fructu, Et Applicatione Sanctissimi
Missæ Sacrificii, Et De Sublimitate Perfectionis Religiosæ. Catalogum
Tractatum Asceticorum Omnium Vicina Post Dedicationem Pagina
Indicabit

V. P. Gasparis Druzbicki, Societatis Jesu, Tribunal Conscientiæ Per Varias
Examini Industrias seipsam dijudicantis, Tendentibus ad perfectionem,
præsertim Religiosis accommodatum

Druzbicki, Kaspar

Ingolstadii, 1732

VD18 90066413

Industria V. Examen Conscientiæ in oculis & præsentia Dei, faciendi, ratio
utilis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-45441

INDUSTRIA V.

Examen Conscientiæ in oculis & Præsentia Dei faciendi, ratio utilis.

Quibus mihi tribuat ut cognoscam & inveniam Deum, & veniam usque ad solium ejus? ponam coram eo iudicium, & os meum replebo interpretationibus, ut sciam verba, quæ mihi respondeat ut intelligam quid loquatur mihi. Verba sunt Beati Job 23. 3. quibus judicari, vel potius judicare se ipsum optat in hac vita, ut non judicetur in morte, vel post mortem, juxta illud Pauli. *1. Cor. 11. 32. ipsos judicemus, non utique judicemur.* Et illud. *Job. 35. 14. Judicare coram Deo, & expecta eum,* sine dubio enim te absolvet, quia non judicabit his in idipsum, ita ut fidenter illi cum Davide dicas; *Psf. 108. 121. iudicium & justitiam, non tradas me calumniantibus me* Horum quæ dixi cognitio, & consideratio, Dei bonitatem, & ad ignoscendum facilitatem, nobis persuadere debet, simulque nos animare, ut potius nos à nobismet ipsis judicemur, præveniamusque faciem Domini in Examine & iudicio, & confessione, atque satisfactione, quam ut differamus discussionem nostræ vitæ, operumque ad iudicium ipsius Dei, in quo ille, accepto tempore, ita ut non sit ultra ad pœnitendum & emendandum, scrutabitur in lucernis etiam Hierusalem. Quare utilissima erit hæc examinandi sese, iudicandique Industria, & quidem in Divino conspectu, atque Præsentia, ut tantò magis seriò rem agat animus noster, cujus quidem iudicii Praxis hæc esse poterit.

I. INVITABIS Deum ad aulam cordis tui, petesque ab illo, ut jubeat suæ Majestati Tribunal
poni

poni in corde tuo, in quo residens, cum Sanctis omnibus adstantibus, tuo tuimet Examini atque iudicio interesse velit.

II. SUPPLICABIS illi ferventer; in hunc, vel similem modum pro lumine.

ILLUMINA Domine Deus meus, omnes angulos sinuosi cordis mei, mihi lucernas illas, quibus aliquando Hierusalem ac Babylonem scrutaberis nunc concede, quo lumine earum intellectus meus illustretur, igne autem voluntas, inflammetur, ut nullum me fugiat peccatum, nulla lateat imperfectio, quàm veritas tua non cognoscat, quam charitas non exurat. Soph. 2. 12.

III. ACCEDES ad ipsum iudicium tui ipsius, cuius forma hæc erit. Ingredere aulam cordis tui, jam à Deo pro tribunali in seffi. Ibi coram Deo ejusque Sanctis, cogitatio accuset, ac enumeret singula peccata, quæ fecisti, conscientia testetur facta esse, pudore vultus suffundatur, declinent verecundantes in terram oculi, ad instar illius Publicani, aut mulieris adulteræ, Christo adductæ. Ratio præstet iudicis officium, teque ad pœnam quam promeritus es, damnet. Timor sit compedum instar, dolor veluti carnifex & executor Justitiæ, voluntatem cruciet, atque conterat, lachrymæ, gemitus, tunctiones, aspirationes, incurvationes, sint pro sanguine. Efficacia proposita satisfaciendi, atque ipsa actualis quæ fieri commodè poterit satisfactio, atque satisfactio, cùm solido serioque emendationis proposito, sint executionis loco.

IV. HISCE feriò, diligenter ac severè tanquam in oculis Dei Sanctorumque peractis, sententiam contrate, à te ipso latam, Deo, vel ipse,

ipse, vel per manus Sancti Angeli custodis tui trades, vel certè distinctè voce cordis orisve etiam pronuntiabis.

V. INTERIM autem misericordiam posce Dei, allegans titulos atque rationes, ob quas tibi parcere, tuique misereri debeat. Ipse enim *Isa. 43.26.* ait. *Reduc me in memoriam, & judicemur, simul narra si quid habes propter quod justificari debeas. Quocirca sic orabis.*

DOMINE Deus meus, cui soli peccavi, Tibi soli confiteor iniquitates meas omnes, quas feci, & propter quas, me ipsum damnavi, & damno, misericordiam tuam imploro, atque justificari à te postulo. Scio quidem, o Domine, nihil me meum adferre posse, ob quod justificer, in conspectu tuo, in quo non est justificatus unquam de suo, omnis vivens. Unde neque excusationes, neque elevationes, neque ulla v lamenta, iniquitatibus meis obtendo, sed magis eas omnes oculis tuis denudo, atque manifesto, earumque malitiam & ingratitude exaggero, quoniam peccatum meum multum est, & magnum, majus longè quàm cognosco. Sed tamen, o Benignissime Deus, scio etiam quod etsi ego satis superque commisi, unde me damnare, & ego necesse habeam, & tu justissime possis, Tu non amisisti unde misericordissime peccatores salvare soles. Quin immo scio, quòd quantò major est, miseria mea, tantò majorem campum habebit Bonitas & misericordia tua. Propter ergo gloriam Nominis Tui Sancti, in quo solo oportet nos salvari, propitiaberis Tu Domine nunc & semper peccatis meis. Dices mihi Deus meus, ut narrem si quid habeo, propter quod justificer. Si meum queris Domine, protestor quòd nihil habeam, nisi nihil & malum, & pena debitum infinitum ac
inex-

inexhaustum. Si item queris tuum? habeo sanè multum per omnem modum. Habeo inprimis universam naturam, substantiam, dignitatemque tuam, cujus natura est Bonitas, cujus substantia placabilitas, cujus vita misericordia, cujus gaudium salvatio nostri. Habeo præterea cor & viscera tua, JESUM, inquam, Filium tuum unigenitum, habeo ejus Incarnationem, Nativitatem, vitam, Labores, Passiones, Humilitatem, Dolores, Cruciatuſ, Mortem Crucis, Sepulturam. Habeo virtutes, gratias, merita ejus, habeo pretium sanguinis ejus. Habeo dona, orationes, intercessiones, communionem omnium Sanctorum tuorum, tam viventium in terra, quàm regnantium cum Deo in Patria, totiusque Ecclesiæ Sponsæ Tuae Tibi gratissimæ. Hæ utique rationes, sufficienter efficaces sunt, ut miserearis mei, qui gaudes in benefaciendo nobis, & quando nostri misereri potes. Efficaces sunt ut justifies, & sanctifies, & abluas, & emundes me, qui justitiã & sanctitate & perfectionibus nostris pascaris, & glorificaris. Parce igitur Domine servo, propter quem non pepercisti filio: accepta pœnam, quam ego merui, vilissimus servus tuus, quàm pro me luit Tibique obtulit Pretiosissimus Filius Tuus.

Hujus Industriæ præclara potest esse utilitas, si ejus adsit usus frequentatus. Vix enim videtur fieri posse, ut in tali anima possit diu stare, non dico, gravis aliqua malitia, sed vel imperfectiuncula aliqua tenuis, quæ sic se in oculis Divinis corrigere, atque emendare consuescet. Restat ergo ut utamur infatigabiliter per aliquantulum tempus v. g. unius alteriusve hebdomadæ, aut mensis, hoc exercitio, & fructum ejus experimento gustemus.

IN-